



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Lib. I. Leo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

JOANNIS PIERII VALERII  
BELLUNENSIS HIEROGLYPHICA,

Seu,

DE SACRIS ÆGYPTIORUM,  
ALIARUMQUE GENTIUM LITERIS  
COMMENTARII,

LIBER I.

DE IIS, QUÆ PER LEONEM SIGNIFICANTUR,

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD COSMUM MEDICEM, FLORENTINORUM  
DUCEM.

CAPUT PRIMUM.

**M**ulta quidem sunt, quæ de Leone tam Philosophi, quam Historici, nec non Aruspices differuere: sed neque veriora, neque admiranda magis ab eorum ullo, quam ab Ægyptiis sacerdotibus & observata, & posteritati commendata sunt: ea scilicet extant, quæ viri illi, totius (ausim dicere) arcanorum naturæ conscii, super animalium ingeniis maxime omnium diligenter exploraverunt. Eam vero esse in Leone præstantiam norunt omnes, ut, vel singula ejus membra, non eorum tantum sacerdotum inventione, sed & gentium, ætatumque pene omnium consensu, mystici alicujus significati argumentum præbuerint. Tot sunt veterum monumenta, in quibus Leonina facies, variis hieroglyphicis expressa, nunc magnanimitatem, nunc animi corporisque vires, nunc Solem & terram, nunc natorum erga parentes obsequium, nunc animi domitorem significat; aliis Deo magnanimitate Leonis. mox picturis amoris petulantiam, Oratoris facultatis partem, vigilantiam, custodiam, terrificum hominem, dominatorem, Nili incrementum, clementiam, vindictam, & pleraque alia commo-  
**A**strat. Nulla tamen naturæ vi admirabilior esse judicatur, quam ipsa, qua egregie pollet, magnanimitate. Ab ea igitur primum omnium ordiemur, quam Ægyptii sacerdotes ea de causa per Leonem pictum intelligi volebant, quod inter quadrupedes nullum aliud animal præstare magis animo exploratum habuere. Eam præterea Leonis esse imaginem, ut magni & generosi animi simulacrum præ se ferat, ut in Physiognomorum observationibus invenitur. Caput enim magnum habet, pupillas ignitas, faciem obrotundam, & ad radiorum similitudinem juba undecumque diffusas, quibus colla armosque vestiat. Id enim Leonum genus animosius esse theatra Romana sæpius ostendere. Atque hæc quidem quo diffusa magis, vulnere, eo magis contemptum indicant. Eos Homerus *ἰγυαίεσσιν* appellat, de quibus dicitur: *Leontem non terreat larvis, neque à subula excipi.* Quare Diogenes, cum apud Xeniam serviret, amicis volentibus eum redimere, negavit velle se: *An nescis, Diogenes, cum apud Xeniam serviret, à quibus aluntur, sed aliores potius servire Leonibus?* Pari magnanimitate Antigonus Demetrii filius, cum urgentibus hostibus olim retrocedere cogeretur, negabat se fugere.  
**B**

A

2 fugere, sed utilitatem a tergo sitam persequi. Hujusmodi vero faciem horride jubatam in morem hi- A  
stricis irritatae aspicias in Antonini numo: qualesque illi sunt, quos throno Solis Aegyptii subjecere,  
affinitatem demonstrantes, quam cum ipso Deo jubarum imitatione habere viderentur. Nam dege-  
neres, ac perinde pavidiore illi omnino sunt, qui crispioribus brevioribusque sunt jubaribus. Neque aliud  
sibi vult divina lectio, cum Dei populum sicut catulum Leonis exurgere, & sicut Leonem exilire scri-  
bit. Quanta enim illa sunt indicia magni animi, cum quis crucem suam tollit, & Christum sequitur,  
cum Principum furias contemnit, cum ferocia, saevaque verbera aspernatur, cum caesus denique gla-  
diis, bidentis instar, nullam neque murmure, neque querimonia consternationem ostendit, cum vi-  
ctio seculi terrore, spretoque corporis poenis, igni, bestiis, tortoribusque traditur? despicit enim &  
contemnit omnia, quae sunt in potestate mortalium, & imitatur eum, qui Leo de tribu Juda nuncupa-  
tur. Atque hic demum ille homo est impavidus, qualem dari sibi Democritus postulabat ad summi  
boni specimen, qui scilicet animum a terrore liberasset.

Antonini  
numisma.

Num. 23. 24

Apo. 5. 5.

ANIMI CORPORISQUE VIRES. CAP. II.

A Junt vero Admetum Leonem & Aprum junxisse, ex  
quo illum animi corporisque vires copulasse intel-  
ligendum est. Per Leonem enim animi vim, per Aprum,  
ut suo loco dictum invenies, robor corporis interpre-  
tantur. Addunt, eum eodem argumento Apollini at-  
que Herculi acceptissimum fuisse, quos inedia sapientia  
& ingenitae cujusdam virtutis indole sibi conciliasset.

a Pugnace, Quinetiam Poetae feroces in bello viros moliontas vo-  
ac fremen- care consueverunt.  
tes ut Leo-

ROBUR. CAP. III.

Est & illud hieroglyphicum, per anteriora Leonis  
robor significare; propterea quod in eo animali  
membra illa robustiora sunt: ab excellenti enim vi  
quadam uniuscujusque rei significata sua Aegyptii desu-  
mebant. Expresit robor hoc Lucretius Carus, cum  
ita scripsit:

nes, pugnans, fre-  
mitus.  
b Praefer-  
tim caput  
& pectus.  
ibid.  
Plin. lib. 8.  
cap. 36.

Principio genus aere Leonum saeva que secla  
Tutata est Virtus.

Neque alia de causa Leonem caelo adscriptum multi prodidere, nisi quod Sol eo tempore, quo si-  
gnum id permeat, maxime sit validus atque robustus: moxque degeneret in posteriora declinans.  
Quia vero, ut Pausanias ait, decet bellatorem hominem in conflictu adversus hostem, omni postha-  
bita mansuetudine atque clementia, saevire: Lacedaemonii Martem *Ζυρεται* appellaverunt, eoque spe-  
ctare Homericum illud quod ait de Achille dictum, *λεων δ' ως αγγελος ειδεν*. Cujusmodi signum in Si-  
mandii Aegyptiorum regis nominatissimi sepulchro spectari solitum auctores tradunt, quem Leonis  
specie figuratum hostes in fugam vertere vidisses: ut ex eo & animus & robor & vigilantiam Regis  
perspicere liceret. Videre vero est in Nervae Trajani numo fortitudinem hanc ita figuratam, ut clava  
leonino insideat capiti, per clavam, fortitudinem significari dictum est in Roboris commentario; per  
caput vero leoninum, animi generositatem interpretatur: utroque enim opus est, qui Ducis invicti  
nomen affectet sibi vindicare. Quod vero pertinet ad Leonis robor, tradunt auctores Hyllum Her-  
culis filium, eo quod viribus praestaret, Leonem Cytheronium cognominatum, quem cum Euche-  
mus Arcas interfecisset, Rex a Megarensibus salutatus est, apud quos oraculum erat, eum sibi ad-  
fiscendum, qui Leonem interfecisset. Quod simile fuit Diocletiani factum, qui tunc se ad rerum sum-  
mam perventurum acceperat ab oraculis quum primum Aprum interemisset: ob idque cum plurimos  
confecisset Apros, queri per jocum solebat, se quotidie Apros interficere, nunquam autem Impera-  
torem declaratum iri, donec virum nomine Aprum jugulasset. In numo quodam pulcherrimo C.

Traiani  
numisma.

C. Publici  
Q. F. nu.  
mi. n. a.

PUBLICI Q. F. cernere est fortitudinis simulachrum, quod Leonem suffocat clava a pedibus  
strata,



A strata, phareta cum sagittis anteposita. Hippothoon Poeta robur hoc leoninum pulcherrimo descripsit fenariolo, quem apud Jo. Stobæum invenimus: γῆραι λέοντι κρείστον ἀκμαίων νεεῶν, cuiusmodi verba fenex ille dicit apud Aristophanem, Vespis, ἐγὼ τὸ μὲν νομίζω γῆραι εἶναι κρείστον ἢ πολλῶν κικλίνθες νεαίων. Leonis senectam, maxime fiorente hinnulorum juventute meliorem esse scribit Hippothoon; & fenex ille Aristophanicus senectutem suam pubescenti multorum juvenum virtuti gloriabundus anteposit. Cicero vero in Officiis, vim non aliter Leoni peculiarem esse dicit, quam Vulpeculæ fraudem.

VIGILANTIA CUSTODIAQUE. CAP. IV.

Verum enimvero, per Leonis caput Aegyptii sacerdotes vigilantiam atque custodiam ostendebant. Causam addebant, quod solum hoc ex animalibus recurvos unguis habentibus, simulatque natum est, cernit, atque hinc Plutarchus solare animal Leonem haberi putat. Sane illi nomen ὄρετ λαὸν τὸ θεῶν, inditum ajunt etymologiarum indagatores. Somni prætereque parcissimi est, oculosque habet inter dormiendum splendescentes, ac quodammodo patefactos, quod in custodia signum recepere: & sane multi crediderunt Leones omnino infomes esse, quod Manethon Aegyptius in iis, quæ scripsit ad Herodotum tradit. Hujusce rei argumentum nonnulli observavere, quod caudam assidue inter quiescendum motat. Cæterum incredibile est, ut putat Aristoteles, animal ullum perpetua uti vigilia: sed inde persuasi sunt, qui talia se observasse profitentur, quod Leo magnos habet oculos, palpebrasque perexiguas, ut non oculum possit penitus obtegere, intuentique splendor ille sese offert, qui plurimum emicat ab ejus pupilla: quare semper somni expers esse videatur.



a Video, speculator, & consensior.

B Quapropter significanter admodum, non tantum Mycenarum portis, sed etiam reliquorum aedificiorum, præcipue vero sanorum valvis, ædiumque sacrarum vestibulis Leones, tanquam divinorum custodes, ut est passim cernere, statuebantur. Quique iis infomnium attribuunt, inde eos soli dedicatos autumant, eandem cum Leone conditionem habenti, quippe qui patenti igneoque oculo terram conspectu perpetuo atque infatigabili tueatur. Cum vero constet, Alexandrum magnum præter alia, quæ in homine præclara fuerunt, vigilantissimum etiam fuisse, quod in exemplo à Grue sumpto alibi diximus, non minor, etsi aliæ etiam hujus rei causæ esse possunt, eum in numis quibusdam Leonino spolio caput indutum spectari, ab cujus altera facie simulachrum Jovis est sedens, læva baculo innixus, dextera Aquilam prætendens, literæ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, nempe quod ab Hercule per Caranum primum Mæcedoniæ regem duceret genus: nam Hercules Nemæi Leonis spolio ubique insignis conspicitur: vel quod eximæ magnitudinis Leonem spectante Spartanorum legato, stratuit. Quamquam non sum nescius, Philippum Regem post Olympiæ nuptias, per quietem sibi visum conjugis alvo insignem infixisse bullam, cujus sculptura Leonis imaginem haberet: quod & uxorem gravidam esse, & animosum filium parituram, conjectores periti respondere. Hinc Alexander in matris honorem Leonis spolio maxime gavissus est: & eadem de causa cum somnio monitus Aleandriam in Agypto ædificasset, eam Leontopolim appellavit, quam vis ejus successores Alexandriam à conditore ipso maluerint vocitari. Quod vero pertinet ad Leonis somnum, Physiologos ait Adamantius hæc de catulo Leonis scribere, eum quippe simulac natus est, tribus diebus & tribus noctibus dormire, tum deinde patris rugitu tanquam tremefacto concussoque cubilis loco, catulum dormientem expergefieri: eoque trahit dictum illud à Jacobo in sacra lectione: Catulus Leonis Juda ad prædam (sili mi) ascendiisti, requiescens accubuiisti ut Leo, & quæ si Leona, quis suscitabit eum? Atque etiam illud ex secundo Balaamis responso: Recumbens ut Leo requiescet, & quasi Leona, quam suscitabit quis, audebit? quod dubio procul ad Christi sepulturam pertinet.

C Sed & Fulgentius Gallum Mercurio attribuit, ob mercatorum vigilantiam Portu balisique fanorum cur Leonina capita affigantur. Alexandri numus. Philippi Regis somnium. Lenopolis. Gen. 49, 9. Num. 23, 24.

4 Sed enim intelligere etiam possumus dormisse eum sicut Leonem, ob splendescentes inter dormien- A dum oculos, ut scilicet divinitatem ipsam cum eo nihil quicquam sopitam intelligamus. Quod au- tem de oculis inter dormiendum splendescentibus a nobis additum est, ea de causa factum, ut aurem iis velleremus, qui viri alioqui doctrina magni atque pii, in eo tamen lapsi sunt, quod animam Christi putarunt per tempus illud, quo corpus ejus sepulchro conditum fuit, apud inferos passam, quod hu- mana ipsa natura piorum hominum audire reformidat. Animadverte autem Origenis traductio- nem Latinam loco hoc, ut fere passim, valde corruptam esse.

TERRIFICUS. CAP. V.

Agamem- A Tque eo quidem signo quo robur & vigilantiam indicabant, eodem & terrificum hominem, qui nonis cly- reliquos aspectu solo consternaret, significabant: cujusmodi simulachrum in Agamemnonis clypeo fuisse, Pausanias testis est, ad formidinem aliis incutiendam. Quod quidem scutum in O-lympiæ templo per aliquot tempora pependerit, in inscriptione etiam adjecta:

Ὅτι ἄλλο φέρεται δὴ βροτῶν, ὁ δὲ ἔχων Ἀγαμέμνων.

Quod ita reddere possumus:

Terror hic est hominum, qui hunc gerit est Agamemnon.

a Plin. lib. Est autem Leo ejus naturæ, ut etiam si ferum nihil molliatur, intuentes tamen terreat: ea est in oculis ejus vis, ea majestas. Unde tam Græci quam Latini Poætæ terrorem descripturi, comparisonem ab hujusmodi animalis ferocia libentissime desumpserunt. Merito itaque Chabrias, Atheniensium dux, vel, ut alii, Philippus Macedo, dicere solebat, formidabiliorum esse Cervorum exercitum duce Leone, quam Leonum duce Ceruo. Atque tanta porro vis, tantusque vigor animali alioqui robustissimo, ita in oculis consistere tota videtur, ut eorum vel minima offensione, supra quam credibile sit, debilitari videatur, levissimique amicus objectu pecude ignavio fiat, quod & in theatris sæpius Roma spectavit, & Lyfimachi exemplo comprobatum est, quem Alexander Magnus in idem claustrum cum ferociente Leone incluserat, ille vero hanc ingressus viam domita strangulataque; bellua, & Regi admirationi fuit, & vitæ consuluit suæ, meruitque; ut hujusmodi factum æterna numismatum memoria prorogaretur. Quin non in oculis tantum ejus, terror, verum etiam in rugitu constat: itaque Pindarus eum οὐρανῶν, Olympiis, hoc est, Latæ rugientem, vocat, Agesidamo, ut in Vulpe diximus. Id vero sit tanta ferarum omnium trepidatione, ut (quod Ambrosius cum Basilio testatur) animantium multa, quæ vel ejus impetum per celeritatem evaserint, horrenda tamen ejus indignantis audita voce, veluti vi quadam percussa atque attonita consternerentur, & plerumque ita deficiant præ metu perditæ, ut nullo negotio capiuntur. Quinetiam qui per somnium imaginatus fuerit habere se Leoninum caput, Onirocritæ volunt eum in adversarios terribilem fore significari, nonnunquam vero & principatus & dominationes assecuturum. Ab hujusmodi vero rugitus magnitudine, Marcus, è quatuor Evangelistis unus, Leonis imagine, ut est à Daniele prævisus, ita in hodiernum usque diem hieroglyphice figuratur, quod ipso statim operis initio vocem in deserto clamantem ingenti ore tonat. Ita Eucherius.

b Plin. ibid. & Plutar- chus in Alexand. Lyfimachi præclarum factum numismate testatum.

c Artemi- dorus lib. 1. cap. 39. Marci Ev- angelista imago hieroglyphica.

DOMINATOR. CAP. VI.

Mulier Leo- nē pariens. Sane Basilius Leonem pro Dominatore animalium rationis expertum ponit: observatumque est in ostentis, ut si forte mulier aliqua Leonem pariat, fore ut ab externis gentibus vinceretur ea Respublica, in qua id contigisset: quod non in humano tantum genere, sed etiam in quocunque alio diversa formæ animanti pollere tantundem comperias apud Aruspices. Observatum est in Cō insula, cum Ovis de grege Nicippi cujusdam privati hominis Leonem peperisset, non fuisse hujusce rei eventum irritum, arrepta inde ab eo dominatione. Hinc illa societas Leonina, quæ longe plura sibi assumit quam relinquat, de qua Arist. I. C. ex Ulpiano Cassium respondisse refert: Societatem talem egiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret, & hanc societatem Leoninam solitum appellare. L. ff. xvii. r. pro Socio. l. xix. & Dion Chrysostomus sermone περί βασιλείας, Homerum ait sapienter Bovi æquiparasse Agamemnonem eo versu:

Ὡς τὸ βῆς ἀγέληφι μέγ' ἔχοχ' ἔπλετο πάντων.

Minime vero vel Leoni vel Aquilæ similem dixit, propterea quod dominationis ea sunt exempla.

SUM-

**N**ihil vero gravabor antiquum in argumentum huiusmodi fabulam subungere, quæ mortali-  
 bus utili admodum documento futura sit. Divulgata per orbem erat fama oraculi, quod ab  
 Jove Ammonem prodierat, Alexandrum Macedonem brevi ad se venturum, quem filium esse confite-  
 batur suum: sollicitari hinc ad obsequium terræ Reges, Principem ut sibi conciliarent inter se certare  
 muneribus: præcipueque Ptolomæus Aegypti Rex, Dei sui filium veneraturus, magnam pecuniæ vim  
 parat, quantum scilicet vectigalis uno die ex Nili ostiis & Memphiticæ urbis portoriis collegisset.  
 Erant vero cujusque generis pecuniæ ex rebus omnibus hinc inde collectæ ad aliquot talentorum  
 millia: id totum sine delectu xeni nomine ad Alexandrum deferri curat. Obtulerunt sponte veteri-  
 nam operam, Mulus, Equus, Asinus, & Camelus, qui pecuniam cum fide convectandam suscipere.  
 Hi vix biduum à Memphi progressi, facti sunt obviam Leoni, qui & ipse intellecto Herculis cultu,  
 quem Macedo suscepisset, dum rebus studet suis, Regem salutaturus iter in Macedoniam tendebat.  
 Data itaque & accepta hinc inde salute cum destinatum, ut sit, omnes iter enarrassent, adsciscitur co-  
 mes Leo quasi custos atque præfidium adversus latrocinantes affuturus. Hic de pecuniis certior factus,  
 habere dixit se quoque certam drachmarum summam, quas pro comæatu ferret, sed esse illas sibi  
 plurimum incommodas, quod oneribus gestandis nequaquam assuetus esset, rogat itaque, ut si one-  
 ris additamentum, leve singulis futurum inter se dispersitum, suscipiant, magni hoc beneficii loco  
 habiturus. Obsequuntur illi officiosissime, ac paucas admodum illas Leonis drachmas inter se dividas  
 in sacculos quisque suos admiscunt, iterque mox continuant suum. Venerant in pigues Asiæ cam-  
 pos, cum Leo armentorum multitudine inspecta, dies aliquot ibi commorari e re sua fore designa-  
 vit, simulataque lassitudine aliquot dierum quiete sibi opus necesse dixit, quasque deposuerat pecunias  
 reposcit: adaperitis confestim sacculis, ipsum quæ sua essent, sibi desumere licere inquirunt. Leo cum  
 plerasque alias magno numero drachmas eadem nota signatas in unoquoque sacculo conspexisset,  
 læto magnoque rugitu edito: *Drachmæ*, inquit, *meæ multas admodum drachmas singula peperere*, atque  
 mox quotquot erant suis similes abstulit pro suis. Quid quod Hannonem<sup>a</sup> Carthaginensem præcla-  
 rum virum, cujus meminit Plinius, in exilium actum ferunt, quia Leonem ferendis oneribus assue-  
 fecerat? argumento inde capto, ut Plutarchus ait ἐν πολιτικῶν ἀδελφύλλω ad Trajanum, quod  
 qui Leonem cicurare potuisset, ad longe majora etiam aspiraret.

## HOMO QUI VEL SUAM, VEL ALIENAM

FEROCITATEM EDMUERIT.

## CAP. VIII.

**E**odem ostento, mortalium triumphis, Leones junctos à M. Antonio, atque id quidem civili bel-  
 lo, generosos spiritus jugum subdituros, portendere. Id quod Cicero in Philippicis illi objicit,  
 dum currum ejus Leonibus junctum, imperiosi hominis invidiam ostentare memorat. Et in Episto-  
 lis ad Atticum, qui augurium id formidabat, ait: *Tu Antonii Leones pertimescas, cave, nihil est illo homi-  
 ne jucundius*, & quæ sequuntur reliqua. Sane hominem, qui arte ingenio vel autoritate longe poten-  
 tiorum se addidit sibi atque subjicit, per Leonem ab homine domitum intelligimus: quippe quod feræ  
 alioqui ferocissimæ validissimæque impetum ferocitatemque sopire mollireque potuerit. Hac utitur  
 comparatione Nazianzenus, ubi Basilium ait non modo sibi conciliasse prius Eusebium, sed in suam  
 ditententiam attraxisse, ut ejus consiliis & monitis in omnibus parere videretur. Notum ex Historiis  
 quid Megarensibus acciderit, apud quos Cassius Leones, quos adilibus ludis præparaverat, reliquit.  
 Cum vero civitas per Calenum caperetur, Megarenses ferarum carceres effregerunt, earum vin-  
 culis relaxatis, ut irruentibus hostibus objectæ, negotium eis tantisper facerent, dum sibi per mo-  
 ram aliquam consulere possent: sed enim longe aliter evenit, quia Leones in cives ipsos truculenta  
 sævitia conversi tantam inermium stragem edidit, dum obvios quosque adoriuntur, sternunt atque  
 dilacerant, ut spectaculum id fuerit vel ipsis hostibus perquam miserabile. Atque ut huiusmodi  
 multa prætereamus, jam vero Pythagoricum præceptum est, animalia curruingua (ita mihi liceat  
 γαμψόνοχα interpretari) nutrienda non esse: quippe rapacitatem e civitate summovendam. Idem  
 sentit Aeschylus, cum Leonis catulum in Republica non alendum esse dicit his verbis:

Οὐ χεῖρ λέοντος ἀνύμων ἐν πόλει τρέφειν,  
Μάστιγι μὲν λέοντα μὴν πόλιν τρέφειν,  
Ἦν δ' ἄνθρωπος τις, τοῖς τρέφουσιν ὑπηρετεῖν.

Catulum Leonis alere in urbe non juvat,  
Magis cavendum ne Leonem nutrias,  
Quem qui educarit, ejus & mores ferat.

Euripides vero nullo eos pacto censet admittendos, Pythagoræ præceptum secutus, in quo sapienter quidem Æschylus hæc super Alcibiade, impotentiores id genus homines non accipiendos: cæterum si accepti fuerint, æquo animo ferendos. At Euripides, ut Aristophanicus clamat Dionysius, Ranis, ingenue magis locutus, siquidem ut apud Homerum habetur:

Οὐκ ἔστι λέων καὶ ἀνθρώπου ὄρνια πίζα.

a Nullam firmum factus cum hominibus & leonibus.

FUROR INDOMITUS. CAP. IX.

Immensum itaque furorem, quo quis impotentius exardescat, significare si collibuisse, Leonem effingebant catulos suos discerpentem, imo exoffantem, ut Græcum vocabulum ἐξοσίζοντα interpretemur, non autem ἐκσίζοντα, cauda flagellantem (ut in vulgatis Hori exemplaribus lib. 2. cap. 38. bis positum existat, quo quidem furore b correptum olim Herculem authores tradunt, eoque insanix provecum, ut non hospitis tantum filios enecarit, verum & in suos ipsius filios usque adeo saevire solitum, ut eos interfecerit: quod non absimile est à pictura Leonis proprios catulos discerpentis. Sane Theocritus in Megara Herculis femina, de furore, quem is in liberos exercuerit hæc dicit:



Σχέτλιος, ὅς ποσειδωνοῖσι δότιδων  
Ἡέτιν κηρῶν, ἢ ἐρινύσιν αἶνα βέλεμενα  
Παῖδάς ἐδὲ κατέπεσον, καὶ ἐκφίλον εἰλέθη θυμόν,  
Μαινόμενος κατ' οἶκον, ὃ δ' ἐμπλεῖσθε ἔσκεφόνοιο.  
Τὲς μὲν ἐγὼ δόσω ἐμοῖς ἴδον ὀφθαλμοῖσι  
Βαλλομένους ὑπὸ πατρὶ.

Infelix, qui missilibus de munere Phæbi,  
Sive ea Parcarum, vel Erynnyos impia tela,  
Gnatis ipse suis fariis agitatus ademit  
Charam animam, ut domus ipsa cruore aspersa nataret.  
Hos ego confossos manibus cecidisse paternis  
Jussa oculis spectare meis, misembile visu.

c Ovid. Met. lib. 4. Armenia Tigres, iracundique Leonis, d' florat. 1. Catm.

quoque nostri Leonem iracundum notant, unde illud apud Horatium: Promethea insani Leonis vim stomacho apposuisse nostro, cum de excandescencia loqueretur. Elegantissime quoque, neque non eruditissime Lucretius causam furoris istius perquirat, cujus carmina non injucunda quæ repetantur, ponere non piget:

Sed calidi plus est illis, quibus æria corda  
Incundag, mens facile effervesceat in ira,  
Quo genere in primis vis est violenta Leonum,

Pectora qui fremitu rumpant plerumq; gementes,  
Nec capere inrum fluctus in pectore possunt.

Superius vero dixerat, cum de varietate animi loqueretur:

Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira,

Cum fervescit, & ex oculis micat acrius ardor.

Ejus vero indicium excandescentiæ est, cum caudæ verberibus sese excitare visus fuerit, quod ita Hesiodus tangit in Herculis scuto:

Πλευράν τε καὶ ὤμους  
Οὐδ' ἢ ματιγόων ποσὶ γράφει, ἃ δὲ τις αὐτὸν  
ἔτλησεν ἄνθρωπος ἰδὼν ὀρθὸν ἐλθεῖν, ἃ δὲ μάχεσθαι.

Quem

A Quem Catullus secutus Galliambico super Atti dixit

Age cede terga cauda, tua verbera pateant,  
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.

Et quæ ad furoris incitamentum & indicium sequuntur: nam & corrugare frontem pugnaturus cer-  
nitur, quod *αὐτολεῖν* Græci dixerunt: & superciliorum contractionem *ἄνωλυσιν* vocant. Index autem  
præcipuus est Leonini animi cauda, perinde ac Equorum aures, eaque proprie in Leone dicitur Al-  
cea, quod præcipuum in ea robur constet, vel quod incitamentum quoddam ad assumendas vires  
animumque commovendum: initio irarum terram flagellant, in crescente vero exandescencia terga  
etiam sua verberant, id ea de causa fieri putat Alexander Aphrodiseus, quod eorum anima vehe-  
mentius moveatur, sitque ultionis admodum appetens, cauda vero utatur veluti homines manu, qua  
illi se plerumque inexcandescencia complodere solent: ita animalia hæc ira commota, cum id quod  
se se lædit ulcisci nequeunt, eo sibi modo solatium solent excogitare. Est itaque furor Leoni familiaris,  
unde apud Maronem, *Iræque Leonum*, legitur, & Ovidius: *Iræm vultus habet*, de eisdem ait: quare

B Poetæ Leonem peculiariter feram dicunt, ita Callimachus:

*ὄνησ ἀσπιδίων ὄρημα κατὰ μῦθον.*

Quod vero catulos ab eo exorsari pingerent, causa est, quod medulla Leoni vel nulla, vel perexigua  
est, ut omnium animalium solidis omnino ossibus constare videantur, quasi inde accrescat furor:  
quod labor his confringendis sit mercede major, cum minimum id sit, quod succui possit inservire.  
Sunt præterea ossa illi dura adeo, ut ex eis collisis, ignis veluti ex silice excutiatur. Hinc animal est  
maxime febri obnoxium. Febrem vero nihil aliud esse, quam superantem totius corporis calorem  
Medicorum omnium consensu manifestum est. Febri denique nomen ab igne Græcum *πυρετός* a  
fervore Latinum est: quo morbo Leones toto vitæ tempore cruciari feruntur, eaque de causa Lucre-  
tius *triste Leonum seminum* appellavit. Sane proverbium hinc emanavit, *ἐγέλασεν ὁ λέων*, quotiens  
rarum aliquod hilaritatis exemplum intuemur. Thucydides id dictum est in Cylonio scelere subno-  
tando, cum scilicet indoluisse demum Atheniensis populus, Cylonem per factiosissimas factiones  
quietum Reip. statum inturbare, & quasi post diuturnam mœstitiam ad hilaritatem demum re-  
spexisset, ut impetu in hominem facio, eum vel ad inviolabilis Deæ templum aufugientem persecuti  
sunt plerique, distractumque inde magno totius civitatis gaudio trucidarint.

REMEDIIUM IN FEBREM NACTUS. CAP. X.

E O itaque incommodo vexantur Leones tametsi unus  
Albertus negat esse eos febriculofos, cui in Germania  
nato, alio atque educato, ubi totum fere vitæ spatium con-  
sumpsit, utrum de Leone loquenti potior sit adhibenda fi-  
des, quam Agyptiis inter Leones quodammodo genitis,  
cumque ipsis totum vitæ tempus versatis, alii viderint.  
Ego sane disciplinas eorum in huiusmodi re secutus com-  
pertum esse dicam Leonem febri correptum, & vel si ad  
furorem usque exarsuet, unius passionis Simiæ liberari.

D Quapropter Agyptii Sacerdotes si febricitantem homi-  
nem & sibi met auxilia comparantem significare vel-  
lent, Leonis Simiæ vescentis hieroglyphicum ponere so-  
liti sunt: tanta enim indignatione Simiam tert Leo, ut nul-  
lum animal avidius perdere desideret. Causa est anima-  
lis petulantia, Leonem indignissimis modis exagitantis.  
Nam simul ac vel arbore aliqua, vel ex alio tuto latentique loco nato fuerit occasionem in Leo-  
nem insilendi, pro magno habet negotio caudæ sese ejus applicare, natibusque affigere atque ita qui-  
buscunque potest ludibriis Regi suo illudere, quod impatienter ferat Leo, impotenter admodum  
in huiusmodi animal effera fit: quæ plenius in Cynocephali commentario discussimus. Sed ut mirari  
desina-



g Plin. ibid.

Simia & Calicum in Leonem petulantia.



desinamus animal adeo ignobile generosissimo omnium infestum esse, scimus etiam Culices in Leo-  
num greges petulanter adeo ferocire, ut eos magna interdum clade ad interneccionem adigant. Inter  
enim arundineta Mesopotamia Leones innumeri juxta fluminum ripas & fruteta vagantur, eo tem-  
pore quo hyemis clementia ibi molissima est, semper innocui: verum ubi per æstatem cælum exar-  
ferit, regionibus iis æstu candefactis ambustisque propemodum, ipsi tam vapore sideris, quam mul-  
titudine culicum agitantur, quorum densissimis examinibus per eas terras omnia referta sunt: qui  
quidem ad splendorem oculorum, tanquam ad humidiora membra convolantes eos appetunt, pal-  
pebrarum libramenti mordicus insidentes. Hinc Leones cruciati diutius, aut fluminibus, ad quæ re-  
mediû causa confugiunt, absorbentur, aut amissis oculis immanius efferascunt: quod ni fieret, omnis  
ea quæ ad Orientem late diffunditur plaga, hujusmodi bestiis oppleretur. Id sibi compertum esse te-  
statur Ammianus Marcellinus Rerum gestarum libro 18.

SUPER IGNE SOLICITUS. CAP. XI.

Atque hoc quidem animal, quod ignem ingenitum, & in ipsis ossibus abstrusum gestat, ignem ta-  
men præcipue formidat, adeo ut nihil æque vereatur, atque prætentas faces, quibus ad ferro-  
ciam ejus domitandam nihil efficacius, quod & Homerus testatur eo carmine:

*Καυόμεναι τε δέται τὰς πῦρσι δούμενός περ.  
Ar dentes que faces, quas quamvis sciat, horret.*

Et Pindarus Nemeis: πῦρ δὲ πανηγυρὶς θρασυμαχῶν τε λέοντων ὄνυχας ὀξυτάτους, ἀκμῶν τε δεινοπέ-  
πων γλώσσας ὀδόντων. In cujus trepidationis admirationem adducti Aegyptii sacerdotēs, hominem su-  
per igne formidolose sollicitum, & quasi vesaniētem, ostendere si vellent, Leonis simulachrum, & fa-  
culam pingebant. Id nos vix autoribus credebamus antequam & Florentiæ, & demum Romæ Leo-  
nes hac potissimum ratione domari conspiceremus. Simulacrum hoc in marmore cæsum Romæ vidi  
via Leoniana, quæ ad popularem ædem ducit, erutum frustum ex Augustorum mausoleo. Leo erat  
humi sessitans capite sublato, & in tergus verso: in transversum adsculpta erat fax pinea cum nuce in  
summo capulo, tæniacq; a face in Leonis tergus porrigebatur. Quamvis vero apud authores scriptum  
repererim, nihil aliud ex hieroglyphico hujusmodi significari, quam, uti dicebamus, eum qui super  
igne pavidus esset: si tamen liceat mihi sententiam his meam admiscere, rei istius interpretationem  
esse dixerim, edomitum furorem. Causam cur ita ignem expavescat Leo, Peripatetici eam afferunt,  
quod ejus animalis vis præcipua in oculis consistat: quippe oculos sicciore calidioresq; habent, ii  
maxime omnium ignem averfantur. In idem verò significatum adduci possit ilicis folium Leonino  
pedi subjectum: siquidem Magi ferunt Leonem iliceo folio calcato torpescere: eandemque vim esse  
folio scillæ traditum à Zoroastre, non illo inquam antiquo, sed qui post Plutarchum fuit.

RELIGIOSA FORMIDO. CAP. XII.

Et ne longius à Leonina formidine digrediamur Gal-  
lum<sup>a</sup> is identidem, & præcipue album, ut Ambrosius  
ait, à quo etiam Pythagoras abstinendum<sup>b</sup> jubet, mirum  
in modum perhorrescit; quod pro symbolo colendæ  
divinitatis accipi quidam prodidere. Siquidem Gallus,  
de quo Lucretius,

*Quem nequeunt rabidi constare Leones  
Inque tueri, ita continuo meminere fugat.*

divinum quiddam præ se fert, uti latius in Commenta-  
rio de volucre ea perscripto, disseruimus. Divinita-  
tem vero omnis terrena potestas reformidat, ac reve-  
retur. Leones porro cum Deum matri sint dedicati,  
Terræ ipsi addiciti intelliguntur, & superius bonam  
Leonis partem, quippe quod à jubeis est reliquum, ter-  
ram præ se ferre dicebamus. Sed enim aliam hujus for-  
midinis causam adducit Proclus libello de Magia, ait enim Gallum & Leonem præcipue solaris  
esse



Simula-  
crum Romæ  
in Via Leo-  
niana.

<sup>a</sup> Plinius  
ubi supra.  
<sup>b</sup> Galus cur  
Leonis for-  
midabilis  
sit.  
<sup>c</sup> Quod  
mensi sacer  
& horarum  
numerus sit.

- A esse animalia: sed cur Gallum Leones vereantur, non posse nos à materia sensive rationem assignare, sed à superni tantum ordinis contemplatione: qua scilicet, præsentia visve solaris virtutis magis Gallo infusa sit, quam Leoni concessa, quod ex eo conjectare videtur, quod exploratum omnibus est, applaudere illum hymnis surgenti Soli, quasi que jubar ejus advocare, eo præsertim tempore, quo ex medio Antipodum caelo digressus ad nos descendit. Afirmat etiam solares quosdam Angelos in Galli effigie nonnunquam apparuisse, qui cum in se sine forma sint, nobis tamen, qui sumus in certam effigiem informati, formale præditos ea videndos exhibuere. Contra vero Dæmones nonnunquam Leonina fronte visos, qui objecto Gallo repente in auras evanuerint: quare solent etiamnum diebus his superstitionis ejus studiosi, gallinaceum pullum in pelliciendis eis consilii causa præmacitare. Ad hæc tradunt Græcorum nonnulli, qui doctrinam Ægyptiorum sequuntur, animam Cecropis, quem in Leonem transmutatum credebant, immolatis Gallis gallinaceis, characteribus quibusdam subscriptis evocari, seque illam eis ostendere: quod tamen esse ludibrium Aeneius Euxitheus affirmat, Dæmonesque ita nos præstigijs fallere contendit. Quod vero Dæmones, qui
- B Leonina fronte apparuerint, objecto evanescant Gallo, inde procedere dicit Proclus, quod in eodem ordine constituta, quæ inferiora sunt, superiora semper vereri coguntur. Quemadmodum plerique viri, dum virorum divinorum imagines intuentur, hoc ipso aspectu vereri solent aliquid turpe perpetrare. Lucretius vero ex sectæ suæ præceptis ait esse:

— Gallorum in corpore quadam  
Semina, quæ cum sunt oculis immissa Leonum  
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem.  
Præbent, ut nequeant contra durare feroces.

Cecropis  
animas  
evocans.

Mirum vero quod veteres observarunt, Leonem etiam herbam ita nuncupatam, quæ furculis sese circumplicando plurimum nocet, Gallum ita abhorre, ut si puella adhuc intacta, menstrua tamen, nuda passis crinibus leguminum segetem circumeat, Gallum in manibus habens, exarescat gramen id, profusque deficiat. Id quaecunque est, à Democrito tamen traditum est, ut asserit Sotion. Sed qui alieniores à superstitione sunt, arcanamque naturæ vim quandam contemplantur. Semina a junct

C Galli sanguine contingi debere, hæcque ita fata ab Leone herba nulla postmodum injuria affici.

## INUNDATIO. CAP. XIII

- Incrementum vero Nili, quem Num Ægyptiaca lingua nuncupant, quod apud nos significat, Novum atque recens, ostendere cum vellent, Leonis identidem hieroglyphicum faciebant: quippe cum Sol Herculei Leonis terga adit, Nili diluvium excitat, duplumque recentis aquæ Sole in eo signo commorante sæpius exundat; quæ vis aquæ per spatiosam Ægypti planiciem late diffusa, solum ea fertilitate gravidum reddit, qua non ipsi tantum indigenæ sibi alimenta colligunt, sed magnam orbis partem fame levant. Propter eam verò aquarum redundantiam, quam Leonis beneficio consequi se quotannis experiuntur, institutum est, & apud gentes omnes uno jam consensu receptum ut canales, tubique & siphones, qui aquam eructant, per terebrata foramina in Leonina capita ad id locis opportunis adsculpi solita, aquam immittant, quæ inde ex Leonis ricibus evomi videatur. Quæ ratione autem capita ea Leonum in simis præcipue constituenda sint, quoque ordine disponenda, atque, ut ea tantum quæ contra columnas fuerint, per terebrari debeant ad canalem usque qui cœlestem
- D aquam ex tegulis excipit, reliquis inter hæc solidis, uti quæ cadit vis aquæ per tegulas in canalem ne deiciatur per intercolumnia, neve transeuntes perfundat, sed ea tantum, quæ sunt contra columnas, ex ore ructus aquarum emittere debeat, Vitruvius late docet. Observaverat siquidem is, aquarum redundantiam per Leonem apud Ægyptios significari, atque hoc in omnibus antiquorum ædificiis fieri passim viderat. Et ut semel dicam, fontes & aquarum tubi, qui ab aquæductibus quibuscunque prominebant, Leonis figuris ornabantur: ut qui fons admirabili opere Viterbii antiquam hanc disciplinam ostentat. Et ut alia dissimulem, Romæ in Area Lateranensi Leones duo sunt nigri lapidis ante aneam M. Aurelii statuam positi, qui dubio procul fontibus inserviebant. Indicia sunt ora per terebrata in a daperto ricu, & inferne foramina in guttur usque immissa, & inter pedes pro pectore canaliculus excipiundæ aquæ dimittundæque intercavatus. Tale aliquid observavi in agro Brixiano extra

Leonina  
capita  
quæ eructant.

Leonum  
figies in  
tubis.

B

portam

portam Orientalem ad secundum lapidem, ubi juxta viam, quæ tota magnis aquarum rivis atq; divortis instructa est, Leo marmoreus antiquissimi operis, utris instar inflatus, ritum eodem modo ad aquarum effluvium patefaciebat. Sed neq; in iis tantum, quæ ad aquam evomendam pertinent, Leonum effigies apponi consueverunt: verum etiam propterea quod Leo, celestis ille, inquam, aperire claudereq; videtur aquarum cataractas. Atque in hæc usque tempora nunquam antiquata est veterum consuetudo, ut ostiorum clausuræ, claves, annulique foribus affixi, Leonis ritibus orientur, quod apud Ægyptios factitari solitum ait Theon in Arati Commentariis: quamvis quod ad ostia pertinet, ad eam de qua superius dictum est, custodiam potius respicere, quam ad aquarum fluctus, crediderim. Illud non omitam, quod Horus Apollo tradit, in supplicationibus pluvias exposcentibus, plerisque in locis Leonum ora vino prolui fuisse morem. Sed advertendum est vulgatos Hori codices hoc loco depravatos esse.

## SEMEL TANTUM ENIXA. CAP. XIV.

Æsopi fabula.

Sic Plin. lib. 8. c. 10.

Cum vero persuasum haberent Ægyptii, Leanas semel tantum in vita parere, id quod cum Herodoto plerique alii prodidere: mulierem itidem, quæ unius tantum filii mater fuisset, per Leanam sculptam significare consueverunt. Et in hanc sententiam Æsopi fabula veteribus scriptoribus approbata. Cum Vulpes Leanae fecunditatem suam objiceret in generositatis commendationem, illam vero incesteret, quod & semel in vita, & unum tantum pareret: Leanam respondisse, se quidem semel & unum parere, sed eum Leonem. Hujus raritatis causam plerique reddere commenti sunt, eamque potissimum adinvenerunt, quod catuli in utero jam unguibus obortis matricem discindant, ediq; partum, ea unguium acie in enixu lacerata: vel quod una cum primo partu locos amittat, quam deliram esse fabulam Aristoteles asleverat, easq; vel quinquies vita parere, quod exploraverit in terra Syria, demonstrat. Primum enim quinque, ac per annos singulos uno subinde pauciores, donec ad unicum, & mox ad sterilitatem declinaverint, in qua reliquum vitæ spatium degant. Alias magna ex parte geminos: quod per longam annorum seriem Florentiæ experimento compertum est: sed quum plurimum sex, nonnunquam etiam unum. Philostratus affirmari ait à rerum peritis, ter eas tota vita parere: primo quidem tres, mox duos, inde unum: visam tamen aliquando Leanam, quæ octo utero gestavit. Sed enim quam Philosophi rationem raritatis hujusce in pariendo conati sunt invenire, Basilus Magnus ad providentiam Dei refert, cujus imperio factum sit, ut animalium ea, quæ facile capi possent, longe essent cæteris fecundiora: quocirca tam Lepores, quam Damæ, quam etiam Oves, fere sapius & geminos pluresq; pariunt sætus, ne genus deficiat feris iis, quæ sanguine gaudent, carnivoraq; sunt. At ea quibus pro cibatu cætera sunt, certum est longe minus fecunda esse: quapropter ait, *Leonis vix unius Leana mater evadit*, quæ quidem raritas pariundi, cum non alii animalium generi certius contingat, merito Ægyptii, quod in pluribus accidit observantes, semeliparam per Leanae hieroglyphicum ostendebant.

## CLEMENTIA. CAP. XV.

Sic Plin. Leoni tantum ex feru clementia in sup- plicis profectu par- cit.

Ibidem. Severi Pii Aug. numm.

Præter hæc alia quoque super Leone hieroglyphica inveniuntur, quæ quoniam apud eos non reperi, qui literas hieroglyphicas interpretati sunt, sed potius observatione inventa mihi videntur, breviter attingam. Ex iis clementia est, per quæ Leonem & subitratum hominem, ita tamen ut Leo sit incolumis, significatur: propterea quod infestissime sollicitatus ab homine Leo, dummodo sit intactus, non unguibus eum lacerat, nec ulla injuria afficit, sed quatit solum, atque ubi ita perterruerit, dimittit, quod ita Ovidius scribit:

*Corpori magnanimo satis est prostrasse Leoni.*

Ad hujusmodi significatum non frustra vidimus in Severi Pii August. numo simulacrum mulieris, quod Leoni exporrecto insidet, manu quidem una hastam terræ affixam tenens, altera fulmen quasi abiciens, non autem in jaculandi gestu, cum inscriptione hujusmodi, *INDULGENTIA AUG. IN CARNEQ; quidquam aliud legi potest.*

## CASTIGATIO. CAP. XVI.

Præter clementiam, inesse Leoni castigationis etiam judicium, ex eo didicimus, quod traditum ab Eudemo citat Ælianus, Leonem, Ursam, & Canem eodem contubernio à magistro quodam alios

**A** alitos & educatos, sine ulla injuria aliquamdiu pacatissime conjunxisse, ac si domestica & ejusdem generis animalia fuissent: verum cum Urfa quodam impetu percita contubernalem Canem dilacerasset, commotum Leonem violati hospitii scelere, in Ursam proruisse, eaque pariter dilacerata meritas pro Cane poenas exegisse.

VINDICTA. CAP. XVII

**L**onge vero diversum à superiori significato est, quod ulciscendi studium per Leonem telo confossum plerique pingere instituerunt. Vulneratus enim Leo observatione mira percussorem novit & in quantalibet multitudine unum appetit; & si detur copia, foedissime lacerat & discerpit. Ferunt Jubæ Maurorum regi præstantis animi juvenem fuisse comitem, dum per deserta Africæ, rerum suarum componendarum studio, rex cum exercitu proficisceretur, ex itinere vero Leonem obviam factum à juvene illo ipso sagitta percussum in sylvam recessisse, anno vero post cum Juba rebus ex voto compositis eadem copias traduceret, eundem illum Leonem observato juvene, à quo vulnus acceperat, unum illum è tam magno militum numero violentissimo cursu hostiliter aggressum, nulla vi cohiberi potuisse, quin correptum juvenem miserabiliter dilaceraret, nemineq; aliorum laeso ultione ea contentum, decessisse. Pythagorici porro animam Cambysæ regis Ægypti in Leone se deprehendisse ajebant, unde illi animus imperii cupidissimus fuerit, & maxima quæque semper appetierit. Cæterum, hæc quoque potest assignari causa: quod illis temporibus, quibus claruit, neminem in ultionem eo magis propensum fuisse notum est, qui nunquam Ægyptios persequi odiis armisque, & omni vexationis incommodo affligere destitit, eis semper infensus, donec in omni Ægypto rerum potius, sacris omnibus profanatis, populos totius regionis male tractando, defessus potius quam satius est. Facit ad hoc illud, quod visi Leonis ostentum, belli principium conjectores atque augures tradunt indicare, quod quidem eleganti trimetro apud Græcos <sup>a</sup> exprimitur.

*Μεάνταξ ιδεῖν δυσμενῶν δηλοῖ μάχας.*

*Visu Leonum imagines noctu indicant occidionem ab hostibus.*

RÉGIUM AUGURIUM. CAP. XVIII.

**A**lioqui Regibus augurium dare Leones soliti sunt, ut is qui Juliano Imperatori Gordiani tumultum cum exercitu prætergresso, sese obtulit, immanissimo corpore ejus aciem invasurus, à qua multiplici telorum ictu confosus est. Obitus enim Regis ex hoc portendebatur, inquit Ammianus. Verum antea Maximino Cæsari cum Narseo Persarum Rege jam congressuro, itidem Leo & Aper ingentes trucidati simul oblati sunt, tamen evenit, ut is ea fera admodum gente superata, incolumis & sine damno discesserit. Et Sandrocotus Indus obscuro genere, cum Alexandri furorè pedum pernitate declinasset, fessusque somnum in sylvâ captaret, à lambente Leone sudorem sibi sensit abstergi, quoque pacto inde præfectis Alexandri oppressis, Indiæ regnum invaserit, à Trogo traditur.

ANNUS MENSESQUE. CAP. XIX

**E**T quoniam incidimus in auguria non abs re fuerit commemorare, quod Lænx, quæ catulos <sup>Leona casta</sup> octo utero gestabat, à venatoribus in Mesopotamia cæsa exenterataque, quo tempore Apollo <sup>in Mesopotamia quid.</sup> in Tyaneus ea iter faciebat, indicavit eo interpretante, annum unum & menses octo illum apud <sup>Barbanem</sup> Babyloniam moraturum. Interrogantibusque comitibus, cur non potius annos IX. interpretaretur, cum ex passere & pullis octo à Serpente devoratis, apud <sup>Homerum</sup> annos itidem non. <sup>Illud. p.</sup> vum Calchas intellexisset: *Editi jam illi fuerant, respondit Apollonius, si vero adhuc in utero nondum saturam compleverant: quare mensibus potius quam annis assimilantur.*

CRAPULA. CAP. XX.

**S**unt enim qui hominem ad fatietatem usque crapulatum, per Leonem frustra carniū depa- <sup>Voracitas</sup> scentem indicari velint. Animal siquidem hoc cibo incontinenter admodum utitur, multa- <sup>Leonis.</sup> que devorat solida, sine ullo dissectu quæcunque potest, mox à saturitate nihil biduo aut triduo edit: quam scilicet voracitatem Juvenalis tangit, ubi *multa pascendum carne Leonem*, dixit: atq; inde fit, ut gravis illi ob cruditate exhalet anima, quæ teterrimi semper odoris est. Quocirca nonnulli gravem animam

*a Nempe à Suida recitat Euseb. Chil. 3. cont. 8. proverb. 58.*

animam significantes, Leonis os hians facere consueverunt. Hujus factoris ergo, Martialis videtur a muliebri pudendum Leonem appellasse eo versu:

*Quare si pudor est Ligella, noli  
Barbam vellere mortuo Leoni.*

Taxat enim eam, quæ cum vetula esset, pilos vellere pertentaret: & alii lupanar olidum dixere. Quanquam non desint, qui loci hujus interpretationem longius accersitam, ad Cenchrenas, quas Leones Nicander appellavit, referant: hujusmodi enim serpentis morfu sanguinem exorbent, & genitale: semen ex pretiosissima sanguinis decoctione fieri Medici consentiunt, unde dixit Juvenalis:

*Accipiat sane mercedem sanguinis.*

MERETRIX. CAP. XXI.

**S**ane meretrices per Leænæ nomen intelligi, multis veterum sententiis & monumentis constat. Tale aliquid habes apud Aristoph. Lysistrata in juramento feminarum, *Non stabo Leæna in Tyro-ensi.* Hujusmodi petulantia causa Ezechiel Hierosolymam Leænā vocat, & Heliachim catulum ejus, qui ductus est in Egyptum. Alium rursus catulum Joachim, quem in cavea, ut Septuaginta ediderunt, Nabuchodonosor Babylonia traduxit. Michael Byzantius meretrices quasdam ex Megara Sphinges appellatas ait, quod humano capite mansuetudinem præ se ferrent, ceterum corpore reliquo Leonino, rapacitatem & imperium, quod in amatores exercent, indicaret. Et Megaricæ Sphinges in opprobrium dici solitum de meretricibus, ob impuros scilicet mores Megarensum, quos veterum scriptores omnes damnant. Facit ad hanc rem veteris Poetæ senariolus admodum venustus:

*Ἴσων λεαίνης καὶ γυναικὸς αἰ μὲνης.  
Par est Leænæ & fæmine crudelitas.*

Sed & ante urbem Corinthum Veneris erat templum, juxtaque Laidis tumulus, cui Leænæ simulachrum appositum videbatur, ariete inter priores pedes apprehenso: quod nimirum petulantiam eam indicabat, qua præcipue lasciviunt arietes: de quibus loco suo diximus.

TACITURNITAS. CAP. XXII.

**L**eænæ vero elinguis simulachrum ex ære, quod Athenienses statuere, Iphicratis opus, ex effigie quidem Leænæ, meretricis nomen, ex linguæ vero defectu, taciturnitatem ejus indicabat. Cum enim Armodius & Aristogiton de liberanda à tyrannis patria consilium iniissent, conjuratioque delata esset, comprehensam illi Leænā sortum eorum utrique admodum familiare, ad mortem usque tormentis variis excruciarunt, ea tamen constantissime omnia pertulit, nec quemquam prodidit, supra fæmineam imbecillitatem fortitudinis admirandæ memorandum exemplum: quam Athenienses, ut honoribus honestarent, ne sortum tamen celebrare viderentur, ejusdem nominis animal ob taciturnitatem elingue, erigendum decrevere. Constantissimum meretricis hujus exemplum citat Tertullianus, quo nostri animosiores fierent, cum levi adeo de causa repertæ sint vel mulieres, quæ tam forti animo pro amicorum salute non solum tormenta parvi fecerint intolerabilia, sed ipse ponte suum ipsæ cruciatum auxerint. Nam hæc eadem, ut ille ait carnifice jam fatigato postremo linguam suam comestam in faciem tyranni sevientis expuit, ut expueret & vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset.

CYZICENI. CAP. XXIII.

*Cyziceno-  
rum pecu-  
nia.*

**S**i quis vero incidat in monetam, quæ Leonis imaginem ex una parte habeat, ex altera vero Cybele deorum matrem, sciat eam esse Cyzicenorū pecuniam, quæ celebris admodum est, ob id, quod



*Sphinges  
Megaricæ.*

*Armodii &  
Aristogitonis factum  
celebre.*

A quod pulcherrime sculpti erant, & quod pro xxviii. drachmis Atticis imputabantur, quæ summa ducales aureos duos reddidit, & aliquantulum plus: una enim argenti drachma Marcelli Veneti pondus æquat. Atque hi sunt Cyziceni stateres, qui rem egregie factam indicabant.

Magorum porro superstitio considerata Leonis alacritate perniciosissimoque cursu, mustela dentem Leonino corio adalligatum, ad pedum tumorem atque adeo imbecillitatem adhibere commenta est, id quod apud Lucianum Tychiades ridet, orta inter Cleodemum & Dinomachum medicos contentione, uno eorum Leoninum, altero Cervinum corium præferente, ut per incantamenta Eucrati laboranti amuletum aliquid apponerent. Controversia vero omnis inter eos est, dum ille fomentum aliquid miserabiliter implorat, utrum Cervus an Leo magis pedibus valeat, atque eorum uter alacriori feratur cursu. Merito igitur Virgilianus <sup>a</sup> Aneas, *tergum Getuli immane Leonis* dat Salio, <sup>a En. lib. 5</sup> velocitatis præmium, qui primam in stadio coronam meruerat, nisi dolo Nisi fuisset inturbatus.

HERCULANUS LEO QUID. CAP. XXIV.

B Quid vero sibi velit Herculanus Leo, magis divulgatum est, quam ullo sit opus commento laetius declarare. Illud tamen non omiserim, Herculem illum Aegyptium, qui cum Osiride, ut Antiquitatum scriptores tradunt, Italiam ab amarissimo Gigantum jugo liberavit; per Leonem intelligi, neque quemquam aliam. Plures enim Hercules fuisse, & Arrianus, & Diodorus historici prodidere: hunc autem omnium primum Leonis insignia gestasse tradunt. Caterum Heraclitus Ponticus, superatum ab Hercule Leonem ideo fingi dicit, quia Argivus ille, de quo Græci plurima scripserunt, Hercules, furorem illum, quo ex atrabili plurimum laboravit, tandem edomuerit. Satis enim exploratum est ex iis, quæ antea dicta sunt, animal id per semetipsum immoderatis animis excitari. Sunt tamen <sup>b</sup> qui per Herculem mystice Solis lumen intelligant: Leo vero cum Soli dicatus sit, manite <sup>b Macrob. lib. Saturni lib. 1. c. 20.</sup> splendor ejus in modum Leoninæ jubæ diffunditur.

VIRTUS. CAP. XXV.

Utrumque vero Leoninum spoliū virtutis hieroglyphicum est, eaque de causa Herculi dicitur, quem pro virtute veteres posuere, ideoque Diogenes <sup>c</sup> conspicatus quendam eo ornatum <sup>c Apud D. Laertium in Diogeni Cynico. Diogenis dicitur d. Anein. lib. 3. Antiochi num. 16</sup> sibi gloriose placentem, exclamavit: *Ecquid virtutis indumentum vituperas?* Sed enim non Leonis tantum, verum alterius etiam animantis gestare pellem, heroicum fuisse morem, didicimus ex Apollonii commentariis, ubi Poeta scribit:

*Δεγμα δ' ὁ μὲν τρωγγο πρὸ δυνεὲς ἀμφ' ἔχετ' ἄμβρο.*

Et apud Virgilium <sup>d</sup> Evandrus:

*Demissa ab lava Panthera terga torquet.*

VIREB CEDERE SAPIENTIE.

D IN Antiochi numo videas Leonem quandam prope modum humi procumbentem, & supervolantem Noctuam, quod nonnulli vespertinum crepusculum indicare arbitrati sunt: quippe cadente Sole, noctem, quam per avem eam intelligi volunt, exurgere. Ego vero per hujusmodi hieroglyphici figmentum significare crediderim, vires cedere sapientiæ. Nam per Leonem Robur, per Noctuam Minervam intelligi, suis locis commentaria hæc ostendere. Eiusdem argumenti esse puto Leonem in numo, cujus inscriptio est, ΜΙΑΗΤΩΝ, qui anterioribus pedibus inclinat ad humum, superne vero caduceus exporrigitur, ut scilicet id ostendat, vires quantumlibet feroces, sapientium eloquentiæ cedere. Numum vidi apud Massæos Romæ. Quod vero signum Junonis Argis spectabatur palmitē tredimitum, subjecto pedibus ejus corio Leo-



B 3

nino,

nino, id habebat hieroglyphici, quod novercam utriusque privigni exuviis insultantem ostenderet. Callimachi id inventum tradunt, qui Junoni vitem induxit. Rem hujusmodi tangit Tertullianus.

## LUNA. CAP. XXVI.

Visebatur in Olympiæ templo Dianæ simulachrum alatum, dextera Pantheram, sinistra Leonem continens. Per alas volucrum Lunæ cursum interpretamur, quæ septem & viginti dierum spatio totum permeat signiferum, quem Sol vix annuo temporis spatio perlustrat: Panthera varietates ejus indicat, quas unoquoque mense XII. suis nominibus designatas alibi recensuimus. Leo Solis vim demonstrat, qua splendorem sibi comparat, ea tantum parte lucens, qua ejus radius illustratur.

VIRES CEDERE  
ELOQUENTIÆ.

## SOL. CAP. XXVII.



## TERRA.



*Veterum  
simulacra  
radiata.*

Fieri etiam solita erant apud veteres simulachra quædam radiata, ita tamen, ut unius simulachri radii omnes sursum versus tenderent, alterius ad inferiora demitterentur: atque ita conformata, vectanda Leonibus commendarentur. Sciendum autem ex Vectii commentatione, Solem & Terram ex eo figmento veteres intellexisse, quippe quos Assyrii ADAD, & ADAGARTIN vocabant: ADAD quidem Solem, qui radiis deorsum inclinatis inferiora vivificat, mulcet, educat: omnium quippe terra nascentium author: ADAGARTIN vero Terram, quæ conceptam à solaribus radiis virtutem eandem, quam, licet sursum versus, erigit. Ita veluti sponsa viri appetens, ut Platonicum dictum interim usurpemus, rerum omnium suarum stipata foetu, sese habendam exporrigit. Sed enim ipsa Leonis effigies utrumque referre videtur hieroglyphicum: quippe quæ anterioribus partibus Solem exscribit, posterioribus vero Terram. Quod tamen ADAGARTIN, pro Tellure positum putat Vectius Bassus in Commentario Germanici, qui Phænomena scripsit, ubi de Erigone agitur. *Virginem, inquit, dici Ceverem arbitrati sunt plerique, spicarum quas tenet indicio: alii Adagartin malunt.* Sunt qui & fortunam, quoniam sine capite astris inseritur. Nigidio Figulo placet justitiã, vel æquitatẽ, quo

ANIMI DOMITOR.

A quo nomine etiam Terram ipsam dici alibi comprobavimus, & Legiferam ubique Cererem apud Poetas appellari comperias, ut ab iustitia nuncupatione: neque hoc quidem alienum videatur, & cum Tellure iustissima consensum habeat. Hinc apud Maronem prospero terræ subjuganda omine Aenea puppis: <sup>a</sup>

*Prima tenei vestro Phrygios subjucla Leones.*

Veluti etiam hominem insidentem Leoni nonnunquam videas, quem is stimulo regat, quod esse sui animi regem omnino videtur significare: neque enim Aeneium illud ad sacra tantum patria refertur, quæ in Cybeles honorem fieri solita: neque solum respicit beneficium, quod, ut additum est, tuerit



a *Æn. l. 10.*

b *Æneid. 10.  
Leoni duplex natura*

B *Ida<sup>b</sup> profugus gratissima Teucris.*  
Subjiciuntur vero Leones Magnæ Deæ vehiculo, identidemque trahunt & currum Solis, atque tam varie à veteribus tradita, ad unum eundemque demum intellectum tendunt. Demum hæc duplex in Leone natura, qua quidem anterioribus partibus cœlestia refert, posterioribus vero terram, quaestionem illam facile potest solvere, qua nonnulli mirantur, cur Leonis effigies in Divinis nostrorum literis modo Christo, modo Dæmoni attribuat: pro Christo quippe apud Prophetas non semel positus, ut supra diximus: pro maligno vero, Petrus epistola prima rugientem Leonem dixit: & David: *Libera à Leonibus animam meam*, clamat. Quibus responsum facio, anteriora, quæ sunt Leonis, fortitudinis, & regæ virtutis habere significatum, atque ita pro Christo poni. Nam Irenæus ubi mysterium Dei in rebus strenue gerendis, in dominando, in regendo vim & auctoritatem ostendi disputat, Leonis imaginem ait id præmonstrasse, quæ uni ex quatuor Evangelistis fuerit attributa: inferiora autem, partem quippe terream, fugacitatis & insidiarum.

C Caudam enim subter uterum cum fugit, subjicit, cauda ferit ex obliquo per insidias quæ omnia dæmonem exscribunt, quo nihil à bono fugacius, nihil in mortales insidiosius.

CHRISTUS HOMO DEUS. CAP. XXVIII.

D Enique, ut etiam aliter philosophemur, cœlestis est anteriore parte Leo: ideo admiranda Christi opera veram nobis ante oculos proponunt divinitatem, *Nemo enim, qui à Deo non sit*, ait Nicodemus, *opera ea facere possis, quæ ipse faciebat.* Posteriore terram sapere videtur: ea frigida est, inde ad minima quædam, Galli quippe cantum, prætentam faciem, objectum levis amictus, quin ad

c *A Plinio  
lib. 8. c. 35*

Simiam, & ilicis folia, atque etiam scillæ, Leo timidus est & ad fugam promptissimus. Et humanus Christus mortem timet, perpetuæ non ignarus, quæ statim subsecutura esset, immortalitatis; effugere cruciatum tentat, patremque orat, ut acerbissimus à se calix auferatur: & inde ita debilitatus, ut præ trepidatione genibus insistere non posset. Quod si utraque natura in Christo est, Leo cum sit ejusmodi, recte in Divinis literis modo Deo, modo mortalibus accommodatur.



JUSTITIA CULTUS. CAP. XXX.

E A vero præcipue de causa eorum sententiam approbarim, qui ferociores quoque animos iustitiæ sese subicere per hieroglyphicum hujusmodi arbitrantur, quia nuper in Gavartiano agri Bellunensis vico suburbano reperti sunt magno numero numi, ab quorum una facie mulier corona insignis longaque

induta



induta palla sedet, manum ad ensis inversi capulum extendens, ita ut apex ipsius capuli volam impleat litera circumscripta, JUSTITIA. Ab altera facie, eadem mulieris effigies pene nuda, amictu quidem toto in exporrectam retro dextram appenso, lava supra Leonis caput postremis pedibus residentis injecta: litera adsculpta sunt LEONIS HUMILITAS.

NATORUM ERGA PARENTES OBSEQUIUM.

CAP. XXXI.

Leones autem domitos & magna Dea curru succedentes, Lucretius aliter interpretatur, qui vellet figmentum id significare, liberos quantumlibet feroces, obsequentes esse debere parentibus: ait enim:

*Adjungere feras, quo quamvis effera proles,  
Officiis debet molliri victa parentum.*

*a At Macrobius Statu lib. 1. c. 21. Cybelem terram ait Et Leonem Solem.*

Varro tamen in Cybeleio curru duo considerasse videtur, Leonem utique terrae symbolum, uti paulo ante dicebamus: mox quia genus id animalium in longinquis, & a nobis remotissimis regionibus invenitur, nullam ait esse terrae partem tam remotam, quam coli subigique non oporteat: ita omnes, quae vel hieroglyphica sunt, vel quoquo modo mystica, in suam quisque artem vel disciplinam, quam profitentur, trahunt. Diodorus autem, uti suus est mos, historias sibi confingit ex commodo suo, Leonesque ideo Cybeles currum trahere confictum ait, quod ab his ea educata fuerit. Utrum vero curru vehatur Dea, an sella sedeat, quantum ad significatum pertinet, parvi refert: nam in Faustinae numo Cybelem Turritam Leonina sella insidentem videas, quae orbem intra manum & genu tenet: inscriptio est, MATRI MAGNAE.

*Faustina numus.*

AGRICULTURA.



MIXTA QUID. CAP. XXXII.

Quod vero pluribus in antiquorum monumentis, praecipue sepulchralibus cernere est, Leones aliquod animal apprehendisse, quippe vel Ovem, vel Taurum, vel Anguem, vel hujusmodi quidpiam, ex eo conjicere potes, sepulti animum aut naturam talem fuisse, cujusmodi est illud, quod apprehensum fuerit: quippe si Ovem, vel Agnum, ut in sepulchro quodam Romae sub Aesculapii pronao habetur, intelligas hominem ferocitate demolita, mansuetudinem amplexatum: si Taurum, temperantiam: si Anguem, prudentiam, vel quid hujusmodi: prout animalis, quod detentum fuerit, significatum exiget, interpretaberis.

*Aug. Cas. numus.*

Si vero hostiliter captum vel discerptum, ejus naturae hostem male habitum. Nam in numo quodam argenteo Augusti Caesaris validissimae formae Leonem videas qui servum superat dentibus in armos affixis: quod forte referri potest ad Actiacam victoriam, quam is Apollinis favore consecutus est, in qua, ut apud Maronem:

*b Aeneid. lib 9.*

*Omnia Arabs, omnes verterunt terga Sabae.*

pavorem enim ex Cervo loco suo significari diximus.

FEROCITATE POSITA

ASSUMPTA MANSUETUDO.



AMO.

AMORIS PETULANTIA.

ACTIACA VICTORIA.

CAP. XXXIII.

Quasi erit hic aliquis, quid sibi velint Leonis anteriora, quae in Chimæra fuisse traduntur, cuius figuram Homerus ita descripsit:

Προσθε λέων, ὅππῃ δὲ δράκων μέσῃ ἢ χίμαιρα. b

Eam autem amoris petulantiam, quæ fuerit à Bellerophonte coercita, significare clari plerique authores volunt. Huiusmodi enim sunt amoris initia, qui primo statim insultu Leonina feritate nos aggredi videtur, dictumque est Epicharmi Comici,

Δομιτῆς ἔρωσ λειονταία δουδαμὴ θαλερῆς.

Amoris molliem Leonis robore domitandam.

Eoque respexisse videtur Horatius, cum de juvene perduto amore capto ait:

Vix illigatum te triformi

Pegasus expediet Chimæra.

Capra procacitatem atque lasciviam significat, cui animosus idem Heros fortiter obstitit; Draco vero insultus, pugnamque adeo periculosam, quæ omnia ex peculiaribus Commentariis toto hoc opere suis quæque locis explicantur.



b Sic Lucretius.   
 primo Leo.   
 postrema draco.   
 media ipsa Chimæra.   
 Amoris initia.

TRES ORATORIÆ PARTES. CAP. XXXIV.

Nazianzenus verò, nec non interpres Hesiodi, per Chimæram tres Rhetoricæ partes intelligunt: Judicialem quippe per Leonem, ob terrorem quem reis incutit: Demonstrativam per Capram, quod in eo genere dictio plurimum soleat lascivire: Deliberativam demum per Draconem, ob varietatem argumentorum, longioresque circumductus, & spiras quibus in persuadendo opus est. unde etiam monstri filia fingitur ab Hesiodo, Echidna nomine, per quam πικίλον ὄνυχα καὶ πολυπόδη intelligi contendunt, quippe mentem multis & variis prædium disciplinis.

c Ovid. lib. 3. fast.

SACRORUM INITIA. CAP. XXXV.

Neque prætereunda est Leonis facies illa, quæ omnium prima visa est Ezechieli, per quam ejus disciplinæ periti ajunt initiandorum sacrorum admonitionem nobis oblatam. Eam vero in primis visam, quod à Principum vita soleat totius populi consensus legem sibi constituere. Ad valvas igitur templorum, sustinendis modo postibus, modo hyperthyris, modo pronais locorum ubique Leones subjiciuntur: ut cum Maronis dicto, vel præcipuo potius summi Dei præcepto, Deos primum venerari meminerimus. Et nullam esse gentem tam efferam, neque animum tam indomitum, qui non possit religionis cicuratione beneficioque molliri, atque ita mitescere, ut nullum inde sit onus detrectaturus.

LEONES TARVISINI QUID. CAP. XXXVI.

Leones duo pro foribus, ut fere passim insigniora templa habent, Tarvisii sunt, quorum unus in pronao cathedralis Ecclesiæ à dextera Draconem alatum unguibus impactis comprimit: Draco autem retorto collo Leonis pectus admordet, significans, quod prava quidem cogitatio cor incessit, fortis vero animus eam acutum elidit: à lava autem Leo alter Leunculum apprehensum pectori subjicit suo, demonstrans, quod generosus quisque animus seipsum vincit.

SPHINGES QUID. CAP. XXXVII.

Quas vero Sphingas humanicipites, reliquo corpore Leonino pro templis prostare locorum ubique cernere est, sunt qui figmentum omnino hieroglyphicum interpretentur ea intelligentia, ut

d Idg. anti-   
 quibus, anti-   
 valvas tem-   
 ut

C

*plorū Agy* ut humanam naturam præstare cæteris animantibus admoneamur. Nam alibi principatum ex ca-  
*ptiorum ex* pite intelligi disseruimus. Leonem autem brutorum omnium principem esse, manifestum est, qui hu-  
*Clemente,* mano subiectus imperio reliqua secum trahit. <sup>2</sup> In Divinis vero literis, imperium in bruta omnia  
*Sromatum* homini datum legimus. Sphinga sane monstrum ex parte dimidia virginis formam præ se tulisse,  
*lib. 5. eujm* figmento Græcorum tradit Adamantius. Alii interpretantur totius terræ dominium religioni cede-  
*rei signifi* re, cui ferocia quantumlibet animalia sese subiciant, imperiumque suscipiant,  
*catio ibid.*  
*habetur.*  
*a Genf. c. 1.*

## JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

### LIBER II.

DE IIS QUÆ PER ELEPHANTUM ET RHINOCEROTA  
SIGNIFICANTUR.

Ex Sacris Ægyptiorum literis,  
AD CLARISS. ET REVEREND. GUIDONEM ASCANIUM  
SFORTIAM, CARDIN. S. FLORÆ.

**E**RRESTRIUM animalium hieroglyphica publico spectaculo emissurus, Leonem in primis, quippe eorum dominum, auspiciis inclitissimi Cosmi Medicei, Florentinorum Ducis exire procuravi, & quoddam clarissima ejus civitatis semper fuit Leones publice alere, & quodam Ægyptiorum more honorifice tueri, & quod generosa eorum magnanimitas in ipso Duce laudabilibus tot effulget exemplis, ut non alii cuiquam argumentum hujusmodi dedicari deberetur. Sequebatur Elephas, animal quippe quo neque vastius neque portentosius natura rerum tulit, sed deformitatem bestie tot dotibus, ipsiq; tam præclaris insignivit, ut in omni vite tenore humanum genus (quod sanctius animal Poëta canunt) ab eo bruto si non superatum, certe læssitum esse videatur, aut pari conditione decertare. In eo autem excellit Elephas, quod à se natura suggerente & morum & virtutum documenta præbeat: quod homines nisi doceantur, vix assequi posse fateantur: sed multa sunt, quæ ab eo, tanquam à morum idea, homines desumere & imitari coacti fuerint. Est enim Elephas ingentis munificentia nobilis, temperantia insignis, æquitate summa conspicuus, præcipuus declinator insanis, vaniloquentie hostis, pietatis cultor, & ea celebris mansuetudine, ut alienam etiam crudelitatem abhorreat, contra minus validas feras pugnare dedignetur, in iram autem nunquam efferatur, nisi acerbitate iniqua, enormiq; aliqua injuria concitatus: demig, regalem & ipse animum, ne omnia hic accumularem, in omnibus referro videatur. Qua quidem (Reverendiss. Domine) tibi, non ut te doceam: non enim Sus Minervam, ajunt, sed ut in memoriam redigantur, hoc Commentario enarrabuntur, exempliq; citatis comprobabuntur. Nec ad quemquam ex vestro ordine hic Commentarius mitti potuit vel aptius, vel convenientius, quam ad eum, qui humanitate, fide, pietate, & multarum virtutum, quæ supra ætatem in te conspiciuntur, commendatione longè clarissimus & esset, & haberetur. Vale.

#### SUIS VIRIBUS POLLENS. CAP. I.

*Promiscuū*  
*Elephantis*  
*arma om-*  
*nia.*

**U**igitur ab iis ordiamur, quæ super Elephantis Ægyptii tradiderunt, hominem in primis opulentum, suis quippe viribus pollentem, aliorum nihil indigum, qui dicere tuto possit. In me est omnis spes mihi, qui sibi conducentia olfactu quasi quodam enanciscatur, per animal hoc, imò per unum tantum ejus promiscidem, hieroglyphicè significabant, in eam scilicet admirationem adducti, quod talem, tantamq; habeat, ut ea una officii ferè omnibus illi optimè sufficiat, ea vice manus utatur, unde etiam nomen habet, ea bibat, ea cibum ad os admoveat, eam rectori, cujus omnibus imperiis se præbet obsequentissimum, erigat, offeratque, sive is in cervicem animalis summam sustolli voluerit: five